



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Patientia ac mitias in quibus, ad quos, & propter quid seruari debeat. Cap.
XLIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

Extra diuinam nihil est voluntatem
appetendum.

CAPVT XLII.

Diuinum beneplacitum, omnium sit viarum tuarum regula & directio, vt neque consentias neque dissentias in quamcunque rem, nisi iuxta hanc regulam. In rebus etiam necessarijs esto patiens Deo & resignatus, vt non leuiter, nisi urgeat necessitas, quid à Prælato petas. Quod tamen antequam petieris, resignate Deo, eadem de re, quam cupis libenter diuiniusque velle carere, si Deo placuerit, hoc est, si prælatus rem ipsam negauerit. Voluntatem enim Domini ex eius intelliges voluntate. Hac itaque intentione, hoc pacto accedendus, consultandus, rogandusque est Prælatus, non vt succipias, quod cupis, sed vt ex eo, quæ sit Dei voluntas, discas, eademque consentias. Si multū de futuris cogitaueris, si timueris vehementer, nihilominus quod eueniet, eueniet, ideo te committe Deo, dicens: *Miserere digne Iesu, optime Domine, sit voluntas tua, nō potest quod tu vis esse malum, sed ordinatissimum sit necesse est, quicquid de te procedat. Nō aliud aliter ve desidero tecum fieri, quam tu ordinasti, aut quæ tibi placeat. Si me vis habere infirmum, sit nomen tuum benedictum, & fiat voluntas tua. Si vis me habere sanum, sit eque nomen tuum benedictum, & fiat voluntas tua. Si vis me mori, sit nomen tuum benedictum & fiat voluntas tua. Si viuere, sit nomen tuum benedictum & fiat voluntas tua. Hoc tantum obsecro, fac in tua semper gratia sim ac maneam. Nihil desiderem, nihil optem, nihil velim, nihil agam aut possim aliud præter illud quod tibi placeat. Itaque in omnibus sic inuentar, sic me habeam, quomodo perfectissime tibi placeat.*

Prælatus
quomodo
consultan-
dus atque
rogandus sit

Resignare vt
se debeat ho-
mo in diui-
nam volun-
tatem.
Mat. 6.

Patientia ac mititas in quibus, ad quos, & propter
quid seruari debeant.

CAPVT XLIII.

Propter aduersitatem quamcunque homo non debet perturbari. Quid enim iuuat turbatio, nisi quod consilij inopem, distractum, amarum reddat, & ad omnia ineptum? Consultare tamen super aduersis imminentibus licet, quomodo si licet, aut patienter toleretur sapienter amoueat, idque propter & iuxta Dei beneplacitum. Huic nanque in omnibus Dei seruum esse maxime oportet subiectum. Circa ea igitur quæ diuinæ tantum dispensationi ac prouidentie subiacent anxie prorsus omnes cogitationes sunt abijciendæ. Porro de futuris malis, atque an eueniant ambiguus, ne cogitandum quidem. Sufficit enim dicit malitia sua. Noli igitur tu miser esse ante tempus. Noli præterea in ijs quæ præsto sunt, calamitatibus animo incertem molestiamque conduplicare, vt simul præsentem feram molestiam patiendo, & futuram timendo. Solutum est propter tempestatem, auræque variationes turbari. Hæc enim semper nobis fuerit incerta: Deo verò ab æterno cognitum est hæc horam hocque momentum.

Turbari nō
debet ho-
minem pro-
pter aduersi-
tates.

Mat. 6.

momentum (quomodo nunc sentimus) sic futurum. Esto igitur semper patiens esto tranquillus, & Deo omnia committe, quæ tua nequis industria mutare. Quomodo te neminem decet iudicare aut contemnere: ita eundem etiam causam alijs te contemnendi, iudicandi ve (quantum in te est) noli præbere, ne simul quoque des delinquendi occasionem. Porro si ob demerita tua tibi euenerit contemptus, gaudens hunc suscipe, quia meruisti, qui si etiam occurrerit innocenti, non ad eò sumas ad cor, ut pro illo digneris cogitare, vel tantum quantum cogitares si canis in te latrasset. Nemo laudando corripiendo ve facit ut alius iam sis, quam esses, si tacuisset. Prodest quoque magis ad futuram vitæ correctionem vituperari quam laudari. Si aliud tibi quam oportebat aut quam sperabas, factum fuerit, ad hoc, & ad omnem iniuriam tacetis dissimula. O quam bonū & saluterū est, ad iniurias tacendo, hoc est patiendo dissimulare. Quando tibi aduersitatis aliquid acciderit, etiā quando solus es, ut quando te laferis &c. primū tibi incidat, si que in corde & ore tuo: Deo gratias, vel benedictus Deus. Si fuerit magna aduersitas, statim lege: *Te Deū laudamus*, vel *Benedicite omnia opera Domini*. *D. n. v. o* &c. exemplo S. Elisabeth ducissæ Lantgrauiz, & pro eo qui te verbo aut facto laedit, flexis genibus lege Orationem Dominicam. Cæterum vbi inter alios fueris constitutus, dic vnam Salutationem Angelicam in silentio. Si vis Deum & homines reconciliare, aut placatos habere, si cor tuum in pace seruare volueris, quicquid tibi iniungitur, semper in corde, & nihil aliud in ore respondeas quam, bene, aut libenter. De quibuscunque item defectibus accusaris (nisi essent multum scandali ob & falsi) semper dicas humiliter, & ex corde. Est mea culpa. Certum est neque monachos, neque eos qui in congregatione sunt constituti vnquam possit proficere, vel pacem habere, si contendere cœperint mutuo aut corrumpi, hoc est, si noluerint sese inuicem humiliare. Nam si defectus suos defendere maluerint & excusare, non inuenient pacem. Itaque vnum hoc verbum seruat eos in pace & obseruantia, si accusati vel increpati, statim dicant humiliter. Mea culpa. Superbia quidem hæc recusat ex animo dicere. At necesse est ut tibi principio facias violentiam & hic, & circa quamuis aliam virtutem. Increpatio pro re aliqua, cuius tamen contrarium agere tibi non licet, propterea quod sis obedientiæ obnoxius, quamuis alioqui vtrunque, & quod magis, & quod ille qui te increpauit vult, licitum sit, benigne correctionem accipis absque murmure. Porro vbi offert se occasio qua illi loqui possis, redde eundem rationem, quare sic & non aliter tibi facere incumbat: utpote sub obedientia aut cuiuspiam magisterio constituto, idque dicas breuiter sereno vultu, & humiliter. Si non receperit, noli vltra contendere, disputare ve cum eo (huiusmodi enim colloquia contentiosa, aut disputatiua, pacem turbant, & ad nihil conducunt) sed ipso sic informato quæ obedientiæ sunt, facito. Defectus aliorum, aut peccata quæ tu non potes emendare, charitate cooperias, committe hæc Deo. Nec animum tuum huiusmodi velis occupare cogitationibus aut tentationibus: quin potius huiusmodi à corde proijce, & ac si non vidisses, aut non essent hæc clausis oculis trāsi. Ad defectus aliorum patiens esto, hoc est, nō murmurare, non discutere, videns nō considera, audiens nō intellige: quia ipsi fortasse aliter agēdū ignorāt, aut ex necessitate, aut bona in eiuone coguntur ea, propter que turbantur, vel inuiti admittere, quā ob id sūnt excusabiles. Potest quoque fieri ut ipsis necessarij sint modici defectus, hoc est, qui illis proficiendi præstet occasionem.

Cre-

Vituperari interdū melius est quā laudari. Aduersitatibus occurrentibus, quid faciendum.

Quomodo Deus & homines sint reconciliandi.

Pax per quid in congregatione seruetur.

Increpatio benigne accipienda.

Colloquia disputatiua pacem turbant.

Patientia ad aliorum defectus seruanda.

Credis præterea hæc ipsis plus displicere quàm tibi, sed ob aliquid grauius tamen non posse eos vitare hæc minora. non tamen propterea periuadeas hoc tibi, quod ipsis putare debes hac occasione licitum, permissum esse tibi eos imitari. Tu enim hoc modo non esses constitutus, vt fores excusabilis coram Deo. Denique hæc defectuosa (crede) Dominus in ipsis permittit (quæ conscientia ipsorum non lædunt) vt tibi hæc cedant in exercitium virtutis, scilicet patientiæ. Recordare superbe & impatiens, detractorum, obloquutorum, contumeliosorum &c. quas passus est Dominus Iesus, dum tamen innocentissime & irreprehensibiliter vixit, & noli mirari, nec turbari, contra te vas iniquitatis, homines murmurent, querulantur, detrahant &c. Ipsi liberum habent cor, quare non potes tu prohibere, quin sentiant de te homines, iudicent & loquantur vt volunt. Stultum igitur esset contra talia niti. Patientiam oppone pro clipeo, dissimula, noli te vindicare, noli turbulentiam in te indignationemve habere seu ostendere. Noli timere, nemo quicquam valet nisi quod sit pro te: imò hoc etiam nolentes tibi efficiunt, quod impedire volunt. Non possunt homines impedire prouidentiam & prædestinationem Dei: quia non est consilium, non est sapientia contra Deum. Si est ordinatum à Deo vt hoc fiat vel illud, omnes machinationes hominum diuinæ prouidentie aduersantium erunt inanes. Si non placet Deo vt fiat ipsi efficiantur, tanquam instrumentum quod circa te debet fieri: & si ipsi non essent, nihilominus, completeretur circa te prouidentia Dei. Nemo igitur potest tibi nocere, nemo te potest impedire, tantum ne te ipsum deindas, nec hominibus resistas, sed totum committe te Deo, qui per mala bonaque, imò qui non minus per contraria quam per idonea perficit voluntatem suam, tibi que salutaria prouidet. Horum exempla multa legisti, & etiam vidisti. Quæcumque fuerit molestia aut onus quod tu portas (quandiu tu illud abique peccato ferre potes) noli abijcere illud ex impatientia, aut alia causa leui, nisi Deum ita credideris velle vt molestia hac careas, propterea quod ad meliora hæc sit impedimentum, alioquin molestiam omnem malueris sustinere, quam increpare contristarive proximum tuum, aut contra eundem querulari. Satius foret indigentiam aut necessitatem aliquam licitam sustinere, quàm singulare quid insuetumque, siue statui tuo illicitum, aut etiam reliquis inter quos visis scandalosum, procurare seu introducere. Memèto quia nò tibi ipsi soli, sed alijs quoque viuendum est. Si tibi probrosum, laboriosumve quid fuerit iniunctum, noli contradicere, noli aspernari, noli querulari, noli denique insufficientiam tuam excusare ad onus subeundum, sed experire vires tuas, & Dei gratiam inuoca. Post quod vbi verè illud implere nò potueris, humiliter ei qui tibi iniunxit id insinua. In rebus tamen arduis, potest quis in principio suam incongruentiam narrare, ita tamen vt prælato informato, si in sententia idem persistit, obediat, vires suas experiendo. Si aliquid emendandum fuerit, & charitas fraterna hoc à te exoptatum poposcerit vt fratrem proximumve tuum admoneas, non facias illud in calore passionis, dum passio zeli feruet, sed dum tranquillus fueris. Aut generalibus verbis circumloquaris, querens occasionem qua instrua:ur, caue etià quantum potes, ne ipsius grauetur vrecundia, ne, si fieri potest sentiat propter se hæc dici.

**Detractiones
patientes
sustinet.**

**Prouidentia
& prædesti-
nationem
Dei, non po-
te impediri
ab homini-
bus.**